



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**LEGVM PON||TIFICIARVM GRE-||gorij noni, seu  
Decretalium pentateu-||chus**

**Mesnart, Martin**

**Parisiis, 1555**

xxiii. De delictis puerorum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63486](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63486)

excommunicatio, clerico officii & beneficii  
suspensio pœna esto.

*De sortilegiis. Tit. 21.*

**S**orte nullo modo furta requiruntur. Nemo <sup>1. In tabu</sup>  
uspiciam diuinationes obseruare præsumito. <sup>lis.</sup>  
qui faxit dies quadraginta pœniteto.

Idcirco presbyter qui per inspectionē astro- <sup>2. Extua-</sup>  
labii furtum etiam ecclesiæ factum requisierit, <sup>rum.</sup>  
etsi id se bono zelo, & ex simplicitate fecisse  
proponet, grauissimè peccasse intellegitor. ab  
altaris ministerio ad tempus iudicantis arbitrio  
moderandum suspenditor.

Sed nec in electione prælati, ne quidem in cõ- <sup>3. Ecclesia</sup>  
promissariorum adsumptione, fors interuenito.

*De conlusione detegunda. Tit. 22.*

**A**dcusatore desistente iudex ne quid per cõ <sup>1. Scripta.</sup>  
lusionem fiat videto. de inlato crimine ex <sup>2. Crimi-</sup>  
officio suo anquirito. <sup>na.</sup>

Itaque si quem per conlusionem absolutum <sup>4. Instan-</sup>  
constiterit: absolutio, qui iterum anquiratur, ne <sup>tum.</sup>  
obesto.

Nam & si quis non super cri mine, sed tãtùm <sup>3. Audi-</sup>  
super beneficio cum aduersario conluserit: be- <sup>uimus.</sup>  
neficio priuator.

*De delectis puerorum. Tit. 23.*

**Q**uamuis impuberes omnia ferè delicta, <sup>1. Pueris.</sup>  
præterquam venerea, admittere pos-

De cle. vena. & cle. percuss.

fient: in admisis tamen mitius quam adulti puniuntor.

2. Referēte.

Sed & si quis impubes quempiam fortè casu interfecerit: ne quis ideo multam à patre exigit; consuetudo ne valet.

De clerico venatore. Tit. 24.

2. Omnibus.

1. Episcopum.

**E**Cclesiasticæ personæ venatione, aucupiove abstinento.

Si perseuerabunt: episcopus tribus mensibus à communione, presbyter duobus, diaconus ab omni officio suspenditor.

De clerico percussore. Tit. 25.

1. Si quis.

3. Presentium.

4. Continentiam.

2. Præterea.

**C**lericus percussor conripitor. ni emendabit deponitor.

Quod si tantum in cōflictu fuerit, & lapides fortè proiecerit: licet pro parte vim repellentium steterit, nullumque ipse occiderit, si tamē nonnulli ibi occisi erunt, ad tempus à sacraficio abstinento. quo decurso admittitor.

Itaque si in minoribus ordinibus constitutus erit, & ad frugem melioris vitæ transferit: etiam ad superiores promouetor.

Nedum autem percussor clericus punitor, sed & is qui percuti iubet. Vnde & episcopus qui quempiam fustibus crudeliter cedi iussit ad tempus ab altari suspenditor.